

CORRECTIO

Cum autem inter vulgares & Philosophos aurum formam teneat, quod in prima sua dispositione manēs, lepram curet, et plures alias virtutes habeat hoc autem est propter eius completam digestionem, quia excellentia ignis in eo agens, omnes malos humores consumit in corporibus egris existentibus. tam ex causa calida quam frigida. Sed hoc argentum facere non potest, quia tantam superfluitatem ignis non habet, nec tantum est digestum et decoctum naturali maturitate. Tamen isto non obstante, igneitate occulte & virtualiter habet, sed non ita plene, quia adhuc ignis non facit tales qualitates elementales sicut in auro. Et ideo argentum in sua prima dispositione manens non curat lepram ita potenter, nisi prius per artem digeratur, quousque habeat gradus summos auri in omni maturitate, quare alia egra corpora metallica minus curant infirmitates, secundum quod magis differunt in imperfectione & maturitate ab eis, & ex defectu sulphuris infecti, & foetidi, & vrentis, ex quo, generatione et coagulatione sua facta sunt ab initio, & ideo non curant. Cum ergo aurum tanti vigoris sit apud vulgares, & hoc in sua prima dispositione manens, quare non mirum, sicut experimentum est, si aurum in medicinis per artis ministerium sequentis naturam redigatur, & eius virtus subtilietur per digestionem decoctionis, & qualita
tum